

05

A

1410





^{I. N. 7.}
EXERCITATIO THEOLOGICA
De
PECCATO IN
SPIRITUM SANCTUM,

Quam
SUB PRÆSIDIO

*Viri Plurimum Reverendi, Amplissimi atq̃
Excellentissimi*

DN. JOHANNIS ANDREÆ
QUENSTEDT,

S.S. Theol. D. & P.P. celeberrimi, Colleg. Theol. p.t. Decani
spectatissimi, Alumnorum Elect. Ephori gravissimi,
Patroni, Præceptoris ac Promotoris omni
honoris ac observantiæ cultu æternum
devenerandi

*In Florentissimâ Electorali ad Albim Academiâ
Publico Eruditorum Examine submittit*

M. CHRISTOPHORUS Schaarschmidt /
Delitianus Misnicus, Sereniss. Elect. Sax.
Alumnus.

*Ad diem In Auditorio Majori horis Antemeridianis
Anno post natum Christum M.DC.LXII.*

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Haken, ANNO M. DC. LXII.

22

EXTRACTIO MEDICINA
DE
DECOCTIONE
SERRATIM SANGUINE
SERRATIM SANGUINE
SERRATIM SANGUINE



05 A 1410

M. CHRISTOPH...
Dedimus...
Ad...
...

55



I. N. 7.
PROOEMIUM.

§. I.

Qui extremam naturæ nostræ corruptionem explicare conantur, haud inconcinnè argumentum ejus rei à variis, quibus, post damnosam illam Protoplastorum nostrorum à Deo defectionem, funestamque mandati divini violationem, obnoxii sumus, Peccatorum speciebus deducere consueverunt.

§. 2. Variè enim distingvitur Peccatum, multiplicesque ejus dantur sive species sive respectus, quos qui compendio videre amat, Hutterum in Comp. Theol. Loco VIII. de Peccato. quæst. 3. & B. Cundisiū in not. ad hunc locum p. 560. seqq. D. Dietericum Instit. Catech. de Pecc. p. 215. & in primis Gerh. in loc. Theol. Tom. II. cap. 4 §. 19 p. 618. & seq. adire poterit.

§. 3. Hæc vice ultimum Peccatorum actualium & maxime horrendum, Peccatum scilicet in Spiritum S., sub consideratione placidamque dextrè & cum Scripturâ sentientium *συμφιλολογία*, vocare institui, cujus tractatio etsi difficilis & operosior paulò sit, teste Aug. Serm. XI. de V. D., qui dicit: *Deum nos exercere voluisse difficultate questionis de hoc Peccato, cum in omnibus Scripturis Sanctis fortè nulla major, nulla difficilior inveniat; cui etiam, Feurbornius in Proem. Tractatus de Pecc. in Sp. S. calculum suum adjicit*; haud quaquam tamen in eorum sententiâ concedere possum, qui statuunt, omninò in Ecclesiâ non esse verba facienda de hoc Peccato, additâ, præter superiorem à difficili petitam, aliâ in super ratione, desumptâ à periculoso.

§. 4. Facile enim fieri posse contendunt, ut infirmiores, qui que in profundioribus fidei quæstionibus *sensus habent minus exercitatos* Hebr. V. v. 14. audientes, Peccatum hoc esse irremissibile, in primis vero in gravioribus tentationibus constituti, quando & ipsi à Diabolo ejus rei peragantur, de salutè suâ vel plurimum dubitent vel planè desperent; Satius proinde esse existimant, ut altum potius de eo teneamus silentium, quam ut Camarinam hanc multum moveamus.

§. 5. Verum enim verò, si dicendum quod res est, ratio hæc tanti momenti esse non videtur, ut idcirco à proposito desistamus, aut manum, quod dicitur, de tabulâ tollamus. Quin potius, cum tentationibus Diabolicis neque feliciter obviam ire, neque victoriâ sperare possimus, nisi *clypeo fidei muniti, gladioq; Spiritus armati pugnam ineamus* Eph. VI. v. 16. necessarium omninò esse videtur, ut naturam hujus Peccati accuratè habeamus cognitâ atque perspectâ, quo astutias *dyaboli* & I. Pet. V. v. 8, si quâ ratione scrupulum de eò injicere conetur, eò facilius deprehendamus, promptiusque multò declinemus.

§. 6. Quod insuper probatum damus (1) ex Christi & Apostolorum instituto, qui mentionem hujus Peccati in Sp.S. hinc inde in Sacris injecerunt, vide Math. XII. Marc. III. Luc. XII. Tit. III. Hebr. VI. & X. I. Joh. V. capita, quod oppidò reprehendendû, dicaque ejus rei causâ scribenda ipsis esset, si noxia foret omnis Peccati istius mentio.

§. 7. (2) Ex adjuncto Scripturæ prædicato II. Tim. III. v. 16. *Omnis Scriptura deo profuit & utilis est &c.* ex quibus omninò patet, (quocunq; etiam modo vocula Omnis, sive collectivè, de totâ Scripturâ Sacrà, sive distributivè, de quâvis ejus Particulâ, accipiatur,) hunc quoque de Peccatò in Sp.S. Articulum à doctrinâ non esse alienum, sed cognitu maximè necessarium.

§. 8. (3) Ex universali mandato Joh. V. v. 39. ubi *Scrutamini, inquit Salvator, Scripturas;* innuens, ea, quæ in Sacris litteris habentur, non pro lubitu ac ex delectu nostro arbitrario legenda, & perfunctoriè ac fugitivo quasi oculo percurrenda, sed accuratè potius summâque adhibitâ diligentia singula perlustranda, perpendenda & examinanda esse. Quapropter & ea, quæ de Speciali hoc Peccato tradita sunt, penitus intacta relinquere non licet. Ut enim abscondita nos non docet scrutari, sic patefacta non oportet omninò ignorare.

§. 9. (4) Ex consequenti absurdo. Si enim omnia, quæ cum periculo scandali conjuncta sunt, ex Ecclesiæ pomariis exterminanda, aut silentii sipario involvenda essent, plurimi, & ii quidem præcipui, fidei nostræ articuli, & ante reliquos omnes, qui de Prædestinatione agit, censente itâ *Theodoro Bezâ Colloq. Mom-*

Mompelg. p. 308. & 310., occultandi, perpetuisque tenebris damnandi essent, quod tamen tum Scripturæ, tum rectæ etiam repugnat rationi.

§. 10. (5) Ex aliorum orthodoxorum laudabili exemplo. Plurimi enim, & Præstantissimi Theologi egregiam in explicandâ doctrinâ de Peccato in Spiritum S. navârunt operam. Lutherus ex Professo de eodem agit *Tomo IV. Jen. Germ. p. 473.* Johannes Bugenhagenius & D. Feuerbornius integros de hâc materiâ conscripserunt tractatus. Consentunt etiam Flacius, Chemnitzus, Hunnius, Hutterus, Gerhardus & alii. Cur igitur vestigiis ipsorum non insistamus? Faciemus id, divinâ aspirante gratiâ, doctrinamque de Peccato in Spiritum S., pro ingenio nostri tenuitate, breviter, juxta tamen Scripturam Sacram orthodoxè, persequemur.

§. 11. Quod si quidam sunt, quibus inde offendiculum oritur, distingvimus inter scandalum datum, & acceptum: inter id quod fit per se, & quod per accidens. Non datur, sed sumitur hîc scandalum, non per se ex ipsâ doctrinâ sequitur, sed per accidens ex malitiâ diaboli introducitur. Nihil ergo causæ subest, cur non ausimus in Peccati hujus naturam & indolem paulò altius inquirere, tum ut conatibus diabolicis eò audentius contra eamus, tum ut sciamus, qui nam hujus atrocissimi criminis rei agendi, quive ab illo sint absolvendi. Nam si deprehenderimus, deficere quoad nos essentialia ejus requisita, tum firmiter poterimus concludere, nos huic gravissimo flagitio haudquaquam esse obnoxios, ac proinde de veniâ & salute dubitandi aut desperandi causam prorsus habere nullam.

§. 12. Quocirca ad ipsam exegesis ulteriorem inoffenso pede progrediemur, & ut omnia fiant *εὐτάκτως*, universam nostram tractationem his tribus sive capitibus sive sectionibus includemus, dicturi I. de Peccati in Spiritum S. veritate & existentia. II. quidditate & essentia. III. qualitate priorumque consequentia. Sed enim, quia quicquid propriis viribus suscipimus, cedit infeliciter, & sine duce Spiritu Sancto facilè à regiâ veritatis viâ ad quosvis errorum anfractus deflectimus, ideoque Sanctissimum ipsius Numen calidis invocamus precibus, ut conatibus nostris adesse, nosque in omnem veritatem ducere di-

gnetur, quo in arduæ hujus & difficilis quæstionis tractatione, ipsum tanquam cœlestem ὁδὸν subinde respicientes, feliciter cursum teneamus, quamque nobis proposuimus metam facilius consequamur.

SECTIO I.

De Peccati in Spiritum S. veritate & existentia.

§. 1. Dicturis nobis de Peccato in Spiritum S. non insuper habenda videtur esse ipsorum terminorum ratio, utpote quorum consideratio ad ipsarum rerum cognitionem plenior plurimum facit. Nolumus autem generalioris vocabuli PECCATI enucleationem hîc instituere, quo de videri potest. B. Mentzerus. Exeg. Aug. Conf. Art. II. p. 46. Meisn. Anthropol. Sacra Dec. I. Disp. 3. q. 1. §. 4. seqq. Gerb. Tomo II. Loc. Theol. p. 609. Sed duas tantum, easque famosiores significationes annotabimus, quæ potissimum huc facere videntur, quarum altera est, quando vox Peccati interdum accipitur *pro habitu quodam pravo ac vitioso*, à Primo conceptionis momento cum ipso semine Parentum naturali propagatione in liberos transfuso, quomodo hoc loco non sumitur, alias enim sequeretur, omnes homines, ne unico quidē excepto, atrocissimi hujus criminis reos esse, quia post lapsū omnes homines nascuntur cū PECCATO Rom. V. v. 12. altera quando nonnunquam adhibetur *pro actu aliquo vitioso legi Dei è diametro contrario*, qui tamen aliquid habitualis pravitatis habet conjunctum & annexum, quam vocis Peccati acceptionem & hujus loci esse volumus.

§. 2. Vocabulum quoque Spiritus non uno eodemque modo accipitur. Omissis jam significationibus remotioribus minusque propriis, illas hoc loco tantum attendemus, quas obtinet, quando de Substantiâ incorporeâ increatâ usurpatum legitur. Sic enim sumitur vel *essentialiter*, prout commune nomen est omnibus tribus Personis divinitatis Joh. IV. v. 24. vel *Personaliter*, cum pro Personâ Spiritus Sancti usurpatum. Prior illa acceptio hîc admitti non potest, hâc enim ratione qui peccaret

caret in Sp. S., eâdem etiam operâ peccaret in Patrem & Filiû, propter simplicissimam essentiæ divinæ communis omnibus tribus Personis *ἑνότητι* & identitatem: atque sic frustra Salvator noster discrimen aliquod inter Peccatum in Filium DEI & Spiritum Sanctum constituit Matth. XII. v. 31. & 32. Posterior ergo significatio huc facit, quando vocabulum Spiritus relatè, pro tertiâ S. S. Trinitatis Personâ, certo caractere hypostatico determinatâ & à reliquis distinctâ, quæ speciali ratione nomine Spiritus venit, accipitur. Hinc est, quod atrocissimum hoc crimen κατ' ἐξοχήν & peculiari modo Peccatum in Spiritum S., item *βλασφημία τῆς πνεύματος ἁγίου* Matth. XII. v. 31. *βλασφημία εἰς πνεῦμα ἁγίου* Marc. III. v. 29. Contumelia Spiritui gratiæ illata Hebr. X. v. 29. dicitur.

§ 3. Quo loco tamen notandum venit, sortitum esse hoc Peccatum appellationem suam, habito respectu non tam ad Personam Spiritus Sancti, ac si immediatè in eam feratur, quàm partim ad ejusdem ministerium, quod est Evangelium II. Cor. III. v. 8. partim ad officium proprium, videlicet illuminationis, cujus proprius effector est in cordibus humanis, partim denique ad testimonium, quod fert Spiritui nostro Rom. VIII. 16. His enim divinis operibus qui scienter volenter & pertinaciter resistunt, propriè Peccatum in Sp. S. committunt. Nec est, quod quis objiciat, effecta hæc divina, quorum jam mentio facta est, communia etiam esse Patri & Filio, perinde ut reliqua Trinitatis opera ad extra sunt indivisa, ac proinde nihil subesse causæ, cur hoc Peccatum potius à Spiritu S. quam à Patre & Filio denominetur. Ad id enim omninò observandum, opera ac effecta divina considerari vel absolutè & quoad productionem, vel relatè & quoad terminationem. Illo modo, propter simplicissimam omnipotentiae divinæ identitatem, à quâ dependent, toti S. S. Trinitati ex æquo tribuuntur; hoc verò modo, quatenus cum observato ordine, discrimine & proprietatibus Personarum considerantur, certâ relatione in unâ duntaxat Personâ terminantur, ita ut, licet ad opus quoddam omnes Personæ concurrant, non tamen de omnibus tam sæpè illud dicatur, sed certâ ratione & modo de unâ præcipuè, quæ
potif-

potissimum in opere isto sese manifestavit. Hunc ordinem observavit Symbolum Apostolicum, dum Patri creationem, Filio redemptionem, Spiritui S. sanctificationem peculiariter attribuit, licet neutra Persona vel ab hoc vel ab illo opere sit excludenda. Pari ratione Peccatum in Spiritum Sanctum totam quidem ledit Trinitatem, terminativè tamen & appropriativè in solam tertiam Personam fertur, quia contra illuminationem & sanctificationem, quod officium ipsi proprium est, eique certà ratione & modo, in sensu videlicet relato, comperit, dirigitur.

§. 4. Quodque hoc ita se habeat, atque tale specialiter & ἕξωχικῶς sic dictum Peccatum in Spiritum S. detur, probamus porrò evidentibus Scripturæ dictis, in quibus diserta ejus fit mentio. Ac primo quidem loco effatū Salvatoris nostri Matth. XII. v. 31. & 32. in quo, tanquam in primariâ sede, de eodem agitur, producimus. *Omne Peccatum, inquit os veritatis, & convitium remittetur hominibus: ἢ ἡ βλασφημία τοῦ ἁγίου πνεύματος non remittetur. Et quicumq; dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit adversus Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neq; in presenti nec in futuro seculo.* Jungi his possunt alii duo loci paralleli Marc. III. v. 28. 29. Luc. XII. v. 10. Ex quibus omnibus, si verba & πρὸς αὐτοὺς diligentius excutiantur, Sole meridiano clarius apparet, concedendum esse aliquod μονοτέρας & ἐξαρτέως sic dictum Peccatum, quod peculiari ratione Spiritui Sancto, non equidem ἕσιωδῶς aut ὑποστατικῶς sed ἐν ῥητικῶς, respectu scilicet ministerii verbi & officii, cui eo modo peccantes pertinaciter resistunt, item respectu donorum & charismatum, quæ ab ejusmodi hominibus pedibus quasi conculcantur, contrariatur.

§. 5. Probamus (1) ex Salvatoris scopo verborumq; proprio sensu. Nam Matth. XII. v. 22. & 23. meminit Evangelista, promiscuam turbam, viso insigni miraculo, quo Christus unâ eademque operâ mutum pariter & cæcum ac dæmoniacum pristinae sanitati restituit, in stuporem actam, haud obscura illuminationis ac conversionis indicia prodidisse, Phariseos autem, capitali odio Christi furentes, omnibus viribus eò allaborasse, ut

ut hanc, quã de Christo, tanquã vero Messia, conceperant opini-
 onẽ, è vulgi animis evellerent, ipsosq; totos à Christo avellerent.
 Id n. agebant, teste Salvatore nostro *Matth. XXIII. v. 13. ut homines*
aditu caelestis regni prohiberent, adeoq; nec ipsi intrarent, nec alios in-
intrare volentes permitterent. Quocirca tum etiã divina Christi
 miracula, quẽ non nisi ab infinitã virtute proficisci poterãt, hor-
 dis contumeliis, contra suam ipsorum conscientiam, lacerata,
 autori Diabolo transcribere, ipsamq; adeo doctrinam caelestem
 ad eandem originem referre conabantur. Quam extremam
 ipsorum impietatem ægerrimo ferens animo Salvator, gravissi-
 me in eosdem invehitur, ostenditq; , ipsos peculiari & præ reli-
 quis horrendo crimine se obstrinxisse, quod, etsi de doctrinã suã
 veritate, miraculorũq; divinitate convicti planè essent & confe-
 cti, teste primario eorũ Magistro Joh. III. v. 2. nihilo secius cum
 hanc tum illã incredibilem animi virulentia & plusquã diabolicã
 malitiã, non ex ignorantia aut simplicitate, ut multi alii, sed ob-
 stinatã potius pravitate, contra proprium cordis ac conscien-
 tiã testimonium horribiliter impugnare & blasphemare per-
 gant. - Ex quibus omnibus tale necesse potest argumentum: Il-
 lud Peccatum locis supra citatis describitur, quo veritas caelestis,
 in verbis & factis consistens, sufficienter cognita inque consci-
 entia approbata malitiosè & ἀμετανοήτως impugnatur, contu-
 meliis horrendis proscinditur, homines ab eadem abstrahuntur,
 obex denique Spiritus Sancti operationibus totique ejusdem
 ministerio gratiose ponitur. Atqui illud peccatum, quo hæc
 talia patrantur, est Peccatum in Spiritum Sanctum κατ' ἐξοχήν
 & specialiter sic dictum. E. Major ex jam dictis est manifesta
 minor in definitione Peccati in Spiritum S. fundatur, unde firma
 stat conclusio.

§. 6. (2) *Ex articuli demonstrativi indole.* Is enim frequens
 ejus usus est, ut communem vocis significationem contrahat, &
 rem certã ac determinatam significet, quemadmodum illud mul-
 tis exemplis, nisi res perquam manifesta esset, demonstrari pos-
 set. Idem officium hinc quoque exercere videtur. Postquam
 enim Salvator in genere de blasphemiã verba fecisset, τὰς
 ἀμαρτίας, inquit, καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται ὑμῖς ἀνθρώποις,
 B ser-

sermonem deinde restringere intelligitur ad certam blasphemiam speciem, quâ peculiariter Spiritus Sanctus contumeliosè afficitur, adhibitâ particulâ demonstrativâ Η, ἡ ἢ ἔ πνεύματι
βλασφημία ἐκ ἀφεθήσεται.

§. 7. (3.) Ex triplici oppositione, videlicet blasphemiam communis, & blasphemiam Spiritus: Peccati in Filium Dei & in Spiritum Sanctum: & postremò Peccatorum remissibilem & irremissibilem, quæ oppositio locum invenire non posset, nisi speciale contra Spiritum Sanctum Peccatum daretur. Nam sicut blasphemiam communis æqualiter fertur in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, (quâ ratione omne omninò Peccatum, blasphemiam nomine venire potest, quia βλάπτει lædit S.S. Trinitatem) ita βλασφημίαν ἔ πνεύματι πρώτως & primariò Spiritui Sancto esse oppositam eximistandum est. Hinc quoque ἀμαρτία & βλασφημία primitus à Salvatore conjunguntur, postmodum verò blasphemiam illa, quâ Spiritus S. contumeliosè afficitur, tanquam singularissimum aliquod & atrocissimum crimen, à communi blasphemiam separatur per particulam μακαρικὴν Δε verò; ἡ ἢ βλασφημία ἔ πνεύματι illa verò blasphemiam Spiritus non remittetur. Quo pertinet quoque luculentum Peccati in Filium Dei & Spiritum Sanctum discrimen, quod potissimum in duobus consistit, nimirum in diversitate Principiorum & adjunctorum. Hujus enim, Peccati in Spiritum Sanctum Principium est malitiosa hominis voluntas, conjuncta cum plenâ scientiâ & nunquam corrigendâ omnium salutis mediorem abiectione: illius verò, Peccati in Filium hominis, Principium non est in ipso agente, sed aliunde advenit, videlicet velex causis impulsivis externis, vel ex ignorantia & infirmitate, unde & adjunctam adhuc habet aliquam conversionis & remissionis spem, quæ priori penitus est adempta, unde alterum à Christo vocatur remissibile, alterum vero audit irremissibile. Ac proinde, uti Peccatum irremissibile omninò aliud & necessariò distingvendum est à Peccatis remissibilibus; ita etiam Peccatum in Spiritum S. omninò erit aliud ac necessariò distingvendum ab aliis Peccatis, quod erat demonstrandum.

§. 8. Insignis quoque locus habetur Hebr. VI. v. 4. 5. 6.
Impos-

Impossible est eos, qui semel sunt illuminati & gustaverunt donum
 caeleste, & facti sunt Participes Spiritus Sancti, gustaveruntq; bonum
 DEI verbum, & virtutes venturi seculi, si prolabantur, denuò renova-
 ri ad pœnitentiam, ab integro crucifigentes sibi metipsis Filium DEI
 & ostentui habentes. Quæ verba etsi olim in errorem suum ra-
 puerint Cathari & Novatiani, atq; exinde elicere voluerint, ne-
 minem qui post acceptum baptismum in aliquod Peccatum pro-
 lapsus sit, aut doctrinam de Christo quâcunq; etiam ratione a-
 versatus, ullam peccati sui veniam & remissionem amplius spe-
 rare posse, circumstantiæ tamen textus & descriptio subjecti
 quam Apostolus accuratè persequitur, satis luculenter evincunt,
 eum non de quibusvis Peccatoribus aut ab negatoribus, sed de
 malitiosis blasphemis & impœnitentibus Apostatis h. e. de iis,
 qui grande illud & atrox crimen in Spiritum S. committunt hîc
 agere. Iis enim notis eos circumscribit, quæ non nisi in Spiri-
 tum S. peccantibus convenire possunt, utpote quod sint illumi-
 nati veritate salvificâ, quod gustaverint donum caeleste seu
 svavitatem Evangelii, quod participes facti sint Spiritus Sancti
 ejusq; donorum non vulgarium, cum primis interni testimo-
 nii de veritate caelesti, quod gustaverint bonum Dei verbum &
 virtutes futuri seculi, adeoq; *πρόγασιν* & prægustû quendâ æ-
 ternæ vitæ habuerint, quod deniq; nihilominus, eximiis hisce
 dotibus ornati prolabantur à religione & veritate divinâ, non
 levi aliquo defectu, sed præelectivo, voluntario & ex destinatâ
 malitiâ profecto, quæ eo impietatis eos adigat, ut Filium DEI
 peculiari & notabili exemplo (*ὁ Θεοῦ γυατίζοντες*) ostentui
 habeant, eumque denuò, quantum in ipsis est, tum doctrinam
 ejus hostiliter persequendo, tum etiam sacratissimum ipsius me-
 ritum contumeliis impiè insectando, spiritualiter crucifigant,
 unde etiam fieri non possit, ut verè convertantur & seriam agant
 pœnitentiam. Ex quibus omnibus tale nectimus argumentum:
 De quibuscunq; Peccatoribus verum est, quod à divinâ verita-
 te sufficienter agnitâ, promptè receptâ & gratiosè obsignatâ vo-
 luntariè desciverint, hostiliter & pertinaciter eam oppugnave-
 rint, & execrati sint, de iis quoque verum est, quod detestabili &
κατ' ἐξοχήν sic dicto blasphemiae in Spiritum S. crimine se se

contaminaverint. Atqui de iis, de quibus Apostolus loco jam citato loquitur, prius est verum, E. & posterius.

§. 9. Non minori evidentiâ cap. X. jam laudatæ Epistolæ v. 26. 27. 28. 29. evincit peculiare aliquod Peccatum dari, quod specificè in Spiritum S. dirigitur. Verum equidem est, hunc locum cum superiori eandem sustinuisse fortunam, ejusq; rigore nō paucos ex prisca antiquitate doctores fuisse offensos, eò quod quibusdam hæreticis & erroneis opinionibus favere, lapsisque veniam negare videretur; at verò, si rem recto judicio æstimamus, & genuinam horum verborum significationem attendimus, nullibi ἀπλῶς & absolutè quibusvis Peccatoribus sine discrimine, sive voluntariè sive ignoranter in Peccata prolabantur, veniam denegari deprehendimus, sed tantum malitiosis Apostatis, qui voluntariâ defectione ab agnitâ cælestis veritatis doctrinâ secedunt, atque ita gravissimè & singulari planè scelere Spiritum S. ejusque gratiosum ministerium affligunt. Arguit hoc primarius totius capituli scopus, evincit clarissimus textus συνέπειρα, clamant notabiles circumstantiæ, quibus Apostolus Apostasiam hanc circumscribit, ostendit deniq; præclara illa antithesis, quâ crimen hoc, fidei potissimum & verbo DEI contrarium, ab aliis Peccatis in moribus contra legem Mosis admisis distinguitur. Ex quibus omnibus solidissimè colligimus, non nisi de illo Peccato, quod specificè in Spiritum Sanctum esse dicitur, sermonem hîc esse Apostolo, quia proprietates dictæ & ἀπογογγύμωρα nec Peccato in Filium Dei, nec aliis etiâ criminibus conveniunt.

§. 10. Hæc sunt illa, quibus directè probari posse videtur, dari aliquod Peccatum, quod speciali ratione & κατ' ἐξοχήν in vel contra Spiritum Sanctum esse dicatur, quibus tamen nunquam etiam alia Scripturæ dicta conjunguntur, quæ in eam rem ab Autoribus adducuntur, è quorum numero est illud 1. Joh. V. v. 16. *Est Peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis; nec non quod Stephanus Judæis objicit Act. VII. v. 51. Durâ cervicè, & incircumcisè corde, vos semper resistitis Spiritui Sancto; item illud Pauli Tit. III. v. 10. & 11. Hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem fuge, sciens quod sub versis sit, & peccet ὡς ἀποστατικός;*



νεῖς; quo referri etiam solent omnia illa, quæ de obstinatis hæreticis i. Tim. IV. v. 2. II. Tim. III. v. 8. & in genere de quibusvis induratis Peccatoribus agunt, uti Es. XLVIII. v. 4. Jer. V. v. 3. Math. XIII. v. 14. & 15. Joh. XII. v. 40. Rom. I. v. 25. c. II. v. 5. XI. v. 8. Sed enim, quia hæc naturam Peccati in Spiritum S. non exprimunt, sed aliquam tantummodo ejus conditionem declarant, idcirco huc propriè & directè spectare non videntur. Ac proinde ex superioribus cum B. Meisnero Anthropol. Sacræ Disp. 10. q. 1. th. 19. hanc in rationem concludimus: Quodcunq; scriptura specialiter nominat Peccatum, vel blasphemiam Spiritus, ita ut singularibus notis circumscribat, id peculiaris species est, & ab omnibus aliis distingvi debet. At verò tale est Peccatum in Spiritum Sanctum, uti hæctenus probatum. E. peculiaris Species est, & ab omnibus aliis distingvi debet, ὡς περ ἐδὴ δειξάμ.

SECTIO II.

De Peccati in Spiritum S. essentiâ & quidditate,

§. 1. Postquam igitur evicimus jam, esse aliquod Peccatum, quod peculiari ratione à Spiritu Sancto appellationem est sortitum, consequens nunc erit, ut penitus paulò intimiorem ejus scrutemur naturam. Quamvis autem cognitio ejus satis sit abstrusa & difficilis, nihil tamen hoc impedit, quo minus, Scripturam si sequamur ducem, solerter in eandem penetrare nos possimus. Neque enim favere hîc possumus asserto Petri Canisii, qui in instit. Catech. Artic. de Pecc. in Sp. S. p. 327. asseverare non dubitavit, formam peccati in Sp. S. in codice divino non esse expressam, in cujus sententiam pedibus quoque eunt Daniel Hoffmannus offic. Theol. p. 488. nec non Mathias Flacius Gloss. super Ebr. VI. p. 117. itidem asserentes, ex Scripturâ Sacrà Peccatum illud ad mortem plenè & exactè circumscribi non posse. Contrarium potius tum ex jam dictis est manifestum, tum etiam ex subsequentibus dilucidius patebit.

§. 2. Constat autem, illud uno simplici conceptu comprehendendi non posse, sed plures inadæquatos respectus involvere,

vere. Unde est, quod orthodoxi Theologi, scripturam ducem secuti, varia ejus attributa tradiderint, quibus tanquam essentialibus & ουσΑΤΙΚΟΙΣ requisitis in esse suo proprio & quasi specifico constituitur. Quidam septem, alii octo, nonnulli decem vel etiam plura recensent. Nos eadem ad numerum senarium reduci dextrè posse existimamus.

§. 3. Dicimus ergo (I. Peccatum in Spiritum Sanctum esse apostasiam & abnegationem veritatis coelestis, eamque vel totalem vel partialem. Ita enim per defectionem à fide Apostolus ipse definit Ebr. VI. v. 6. c. X. v. 25. & 26. ubi eos, qui atrocissimo hoc scelere sese contaminarunt, jam *ἡττωμένους*, turpes defectores; mox *ἑγκαταλείποντας* apostatas & desertores; deinde *ἀναστάνους* dicit, qui voluntariè aberrant, & Christum, fidei scopum, omninò relinquunt, non secus, ac si quis jaculum emittens, voluntariè à scopo aberrat, & ipsum planè relinquit, alium quæ siturus, in quem sagittas dirigat. Hinc inferimus ulterius (α) Peccatum in Spiritum S. ratione objecti non respicere mores & vitam perversam, sed fidem fideiq; appendices miracula. Nam quamvis perversitas doctrinæ perversitatem vitæ perpetuò habeat conjunctam, atque eos, qui fundamentum pietatis, sanam videlicet doctrinam, non verentur subruere, necesse sit omni quoque honestati & probitati nuncium remisisse, nihilominus tamen Peccata morum non constituunt & absolvent objectum immediatum Peccati in Spiritum S., sed ea potius, quæ sunt circa fidem & doctrinam, circa verbum Dei & divina miracula. Probamus partim ex antithesi Apostolicâ, quâ peccatum in Spiritum Sanctum à Peccatis morum, quibus lex violatur, perspicuè secernitur Ebr. X. v. 28. 29. partim ex irremissibilitatis defectu & absentia; Peccata enim in moribus admisa, nisi impœnitentia accedat, singula remittuntur; Peccatum autem in Spiritum Sanctum irremissibile pronuntiatur Matth. XII. Partim ex inductione historica eorum, de quibus certò constat, quod rei fuerint Peccati in Spiritum Sanctum, quâ in rem in sacris adducitur exemplum Pharisæorum tempore Christi & Apostolorum, quorum non tam vita scelerata & mores profligati, quam malitiosa coelestis veritatis

ritatis execratio & oppugnatio accusatur. (β) Peccatum in Spiritum S. ratione objecti versari circa veritatem coelestem, tum eam, quæ in factis consistit & miraculis, (nam & qui illa malitiosè conviciatur, & contra conscientiam diabolo autori attribuit, cum non nisi divina esse nórit, in Spiritum S. peccare meritò existimatur,) tum illam, quæ est in verbis & doctrinâ, quo nomine intellectam volumus non tantum veritatem Evangelicam, exclusâ legali, sed utramque potius, cum legalem tum Evangelicam, hoc tamen cum discrimine, ut ad hanc potissimum respectum habeamus & digitum intendamus. Atque de hâc quidem, Evangelicâ, nemini facile superesse poterit dubium, cum ideò, quia summa hujus doctrinæ est amplitudo, ut lapsus circa eam & frequentiores & errores crebriores committantur, tum etiam, quia verba Apostoli Ebr. VI. v. 4. & 5. c. X. v. 29. quibus Peccatum in Spiritum S. circumscribitur, luculentissimè illud evincunt. Apostasia enim à bono DEI verbo, quo mediante aliquis Spiritus Sancti & omnium ejus donorum redditur particeps, quin imò cujus vi prægustum quendam acquirit vitæ æternæ, est certè Apostasia à veritate Evangelicâ; quod insuper ostendit etiam extremus ille contemptus Filii Dei, prophanatio sanguinis Testamenti, non Veteris sed Novi Matth. XXVI. v. 28. injuria & contumelia, quâ Spiritum gratiæ afficere dicuntur, qui ab Apostolo immanis illius criminis rei peraguntur. De doctrinâ legis dubium nonnulli movent an etiam pro objecto, circa quod Peccatum in Spiritum S. occupetur, haberi debeat. Nos affirmamus. Cum enim Peccatum in Spiritum S. ideò potissimum hoc nomine veniat, quia ministerio Spiritus Sancti contrariatur, & hoc tam doctrinam legis quam Evangelij complectatur, certè hinc sequitur, illud utramque veritatis cælestis partem pro objecto respicere. Distingvimus tamen cum B. Meisnero *Anthrop. Dec. I. disp. 10. Sect. 3. §. 20. inter legem, quatenus consideratur ut norma & regula actionum humanarum; & quatenus spectatur ut doctrina, & verbum DEI.* Illo modo respectum habet ad actus hominum vitiosos; hoc verò ad fidem & religionem: Illo modo adversus legem peccat, quicumque in moribus delinquit, quo sensu omne Peccatum est contra legem,

legem, quatenus est ἀνομία: hoc verò modo, quatenus lex con-
sideratur ut pars fidei & doctrinæ, speciali ratione in legem ali-
quis peccare potest, conviciando nimirum eam, divinitatemque
ejus negando, e.g. si quis legem Mosaicam non Deum, sed Dia-
bolum autorem habere dicat, illique blasphemiam pertinaciter
inhæreat, is utique Peccatum in Spiritum S. committit. Nec ob-
stat, quod in genere omnis incredulitas prohibita sit in primo
præcepto, adeoque Peccatum in Spiritum Sanctum adhuc vide-
atur contra legem esse prout est norma actionum. Resp. e-
nim primò, solam ἀπιστίαν non absolvere Peccatum in Spiritum
S. Deinde distingvimus denuò cum laudato B. Meisnero, loco di-
ctò, inter genus & speciem, vel inter actum generalem & specialem.
Quod illud attinet concedere possumus, blasphemiam Spiritus
in sensu generali, vel ratione generis sui, esse contra legem, quia ta-
men specialis ejus actus in lege non est expressus, ideò ἀπιστία po-
tius, quam ἀμαρτία dici meretur. Duo enim veniunt atten-
denda in Peccato in Spiritum Sanctum, primò quidem, quod sit
Peccatum, & sic ἀνομία dicitur, & contra legem, ut norma est di-
rigitur; deinde verò quod sit tale Peccatum, quod nimirum pe-
culiari ratione in Spiritum S. esse dicitur, & sic pro formali ha-
bet ἀπιστίαν vel abnegationem voluntariam agnitæ veritatis.
(γ) Peccatū in Spiritum S. esse abnegationem veritatis cœlestis,
eamque vel totalem vel partialem. Non enim necessarium est,
ad integritatem istius Peccati, ut ἐκείνῳ ille prolapsus à veri-
tate divinâ semper sit totalis, secundum omnes fidei articulos,
totamque adeò doctrinam cœlestem, uti Bucerus Loco XVII. p.
324. & Paræus in cap. X. epist. ad Hebr. v. 26. 27. 28. 29. contendunt,
sed sufficit partialis defectus ab aliquibus, potioribus tamen illis
& Principalioribus fidei capitibus. Nulli enim hæretici tam pro-
jectæ sunt impietatis, ut omnem in universum doctrinam cœle-
stem rejiciant, aut fundamentum fidei penitus evertant,
sic enim non hæretici amplius essent, sed pagani. De-
inde omnium manifestissimè id evincitur exemplo Pharisæo-
rum, qui ipso Christo teste, ne fando huic crimini sese astrinxe-
rant, nec tamen universalis à fide defectionis rei erant, alioquin
enim

enim Salvator noster, neq; quod in cathedrâ Moses adhuc sedeant, rectè pronuciare, neque quod audiendi sint, autor & svasor esse potuisset Matth. XXIII. v. 2. & 3. Postremò rectissimè dicitur, fidem nostram esse quasi unam copulativam, & continuatam, quandam catenam, cujus articuli in divulso & arctissimo nexu coherent, ita ut fieri non possit, quin si quis in unum eorum offendat, eadem ratione etiam in reliquos impingat, si non directè ac primò, saltem obliquè ac per consequentiam. Exc. Dn. D. Feurbornius paulò aliter hanc rem effert *Dissert. de Pecc. in Sp. S. cap. XII. p. 216.* Dicit enim: *Quamvis Peccatorum in Spiritum S. prolapsus non semper sit totalis objectivè, h. e. ratione objectæ religionis; tamen semper est prolapsus totalis subjectivè h. e. respectu Personæ subjectæ peccantis. Hoc igitur Peccatum est totius hominis &c.*

S. 4. Dicimus (II.) Peccatum in Spiritum S. esse abnegationem veritatis cælestis non ἀπλως considerata, sed sufficienter agnitæ inque conscientiâ approbatæ. Atque ut hoc statuamus, multis iisque gravissimis inducimur rationibus. (1.) enim, prostant manifesta Scripturæ dicta, in quibus requisitum hoc luculentissimè urgetur. Ita enim de Peccatoribus in Spiritum S. Apostolus pronuciat, quod deficient μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ὀπίγνωσιν τῆς ἀληθείας Ebr. X. v. 26. & capite præcedente sexto v. 4. nuncupat eos φωτισθέντες ἀσilluminos, nempe per verbum Evangelii, quæ illuminatio certam veritatis cognitionem perpetuò præsupponit. Uti enim excæcatio Diaboli, quæ divinæ illuminationi opponitur, II. Cor. IV. v. 4. & 6. densissimas mentis tenebras & errores, præsertim in rebus spiritualibus & divinis, secum trahit: ita ex opposito illuminatio sufficientem veritatis cognitionem subinfert. (2.) Clarissima exempla, è quorum inductione evincitur, agnitionem divinæ veritatis necessariò ad integritatem Peccati in Sp. S. debere concurrere. Ita Pharisæorum Joh. III. v. 2. animos fax aliqua divinæ agnitionis irradiaverat, unde inferimus, omnem in Spiritum S. Peccantem agnoscere veritatem. (3.) inconuenientia absurda, quæ ex adversâ sententiâ fluunt. Nam, nisi statuamus sufficientem veritatis divinæ cognitionem ad Peccatum in Spiritum S. necessariam esse, expirat discrimen inter Peccatum in Filium Dei, & Pecc-

Peccatum in Spiritum S. ita enim hactenus eadem à se invicem distinguimus, ut illud quidem sit abnegatio & oppugnatio doctrinæ Evangelicæ, sine ullâ tamen ejus hostili blasphemîâ, profecta ex merâ ignorantîâ & Zelo sine scientîâ, nec præsupponat agnitionem veritatis: hoc autem itidem oppugnatio, abnegatio & blasphematio doctrinæ Christi, sed jam agnitæ, àque conscientîâ approbatæ, quam quis non ex ignorantîâ, sed plenâ mentis scientîâ, non ex infirmitate, sed malitiosâ voluntate persequitur & convitiis proscindit. Sed contra-venit hîc nobis Barradius Harm. lib. VIII. cap. 17. pag. 556. qui negat, requisitum hoc necessarium esse *ὑποκειμένον* Peccati in Spiritum S., quia de Pharisæis constet ex 1. Cor. II. v. 8. quod veritatis doctrinam non cognoverint, secus enim Dominum gloria non crucifixissent, Conf. Act. II. v. 17. Sed Resp. 1. Dist. inter veritatis cognitionem: & gratiosam ejusdem in cordibus obsignationem. Cognitam utique habebant Pharisæi doctrinæ Christi veritatem, miraculorumque divinitatem, quantumvis ea sic cognita, ab iis non sit recepta, nec per Spiritum S. in cordibus illorum obsignata. 2. Dicimus cum B. Meisn. Anthropol. Sacra Decade I. Disp. 10. q. 2. th. 24. *ἡπίγνωσις τῆς ἀληθείας* esse duplicem; alteram *γερματικὴν* & merè litteralem, qualem habent etiam Diaboli: alteram *πνευματικὴν* & gratiosam ubi veritas non modò scitur & agnoscitur, sed insimul gratiosè in corde hominis à Spiritu S. obsignatur. Illa semper requiritur ad Peccatum in Spiritum S., eaque imbutos Pharisæos fuisse dicta modò allegata ostendunt; hæc verò non æquè est necessaria. 3. Exc. Dn. D. Feurbornius Dissert. de Pecc. in Spiritum S.: ap. VIII. p. 65. ita satisfacit loco Paulino: Judæi scientes Christum esse Messiam, crucifixerunt eum inscienter, scilicet quoad rectam & piam istius scientiæ, quam possederunt, usurpationem absentem: non verò inscienter, quoad possessionem litteralis sue scientiæ presentem. Nescientes verò Christum esse Messiam, egerunt ipsum in crucem ignoranter, tum habitualiter, quia quopiam habitu scientiæ istam non tenuerunt; tum actualiter, quia quibus deest scientiæ habitus & actus primus, illis quoque deest actus secundus.

S. 5. Dicimus (III) Peccatum in Spiritum S. esse voluntariam malitiosam, ex *ὑποθέσει* & destinato consilio, contra-
pro-

proprium cordis ac conscientie testimonium susceptam apostasiam ab agnita veritate cœlesti. Evincunt hoc illa Scripturæ testimonia, in quibus, tanquam in primariâ sede, de hoc peccato agitur, inter quæ priori loco collocandum est illud Epist. ad Hebr. X. v. 16. ubi, qui gravissimi hujus criminis insimulantur, ἐκ ἑσίου voluntariè peccasse ab Apostolo dicuntur. Ut autem ἐκ ἑσίου aliquid dici possit, duo concurrant necesse est, docente Philosopho lib. 3. Eth. c. 1. T. 20. Primò videlicet; ut ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ Principium actionis sit in ipso agente. Liquet autem ἐκ ἑσίου ἀναπαύειν hîc non opponi interioribus animi affectibus, & vehementioribus perturbationibus, quasi illi, qui Diabolico adversus Deum odio transversum abrepti, aut qui ambitione vel appetitu divitiarum & terrenarum voluptatum, quibus inter hostes veritatis commodius datur perfrui, seducti, veritatem cœlestem agnitam abnegant, oppugnant, blasphemant, ἀκῆσίου istud fecisse dici debeant: Sed opponitur τὸ ἐκ ἑσίου causis impulsivis externis, quales sunt instantium, periculorum, captivitatis, gravissimorum tormentorum, trulentæ item mortis oculis obversantes imagines, hæreticorum seductiones, fraudulentæ circumventiones, aliæque, quæ huc referri possunt causæ irritatrices forinsecus accedentes, modo peccantibus voluntatem suam non relinquunt merè liberam, sed eam ligent, captivent, offuscent. At verò non leve hîc oritur dubiû, quâ ratione τὸ ἐκ ἑσίου Peccati in Spiritum S. consistere queat, cum constet, Cacus illum infernalem, quemadmodum primus Peccavit & ad peccandum primos nostros Parentes illexit, ita quotidie ad quævis vitiorum, etiam gravissimorum, genera variis illecebris & inescationibus homines pertrahere, adeò ut quicquid mali in vitâ unquam perpetratur, id rectè ad ipsum unum, tanquam omnis mali caput & autorem, referatur. Sed sciendum hoc loco non quodvis Principium quod foris est τὸ ἐκ ἑσίου actionis alicujus tollere, sed id demum, quod satis validum & sufficiens est ad motum violentum perficiendum, atq; ita quidem perficiendum, ut agens vel patiens planè nihil adjuvamenti ad actionem illam conferat. Jam verò ut ut Diabolus suggestionibus, extimulationibus, deceptionibus, inescationibus

bus homines perversos ad peccata alliciat, id tamen effectum dare non potest, ut voluntates, nisi ipsimet libenter & cupidè obtemperent, violento quodam impulsu eò quò vult rapiat, hoc enim si esset, tùm homo toties peccaret, quoties Diabolo visum esset, tùm libertas arbitrii in rebus externis planè tolleretur, tum denique etiam atrocissimo D E I nostrumque omnium infensissimo hosti plenum & merum imperium in mentes nostras concederetur, quæ oppidò sunt falsissima. Praclarè enim Augustinus; *Licet, in Peccantium flagitiis illecebrarum Satanas sit adiutor, non tamen voluntatum credendus est generator.* Fortassis non abs re erit leviter & ὡς ἐν παροῦσι attingere hîc quæstionem illam, num Diabolus eo ipso, dum homines ad Peccatum in Spiritum S. movet & impellit, unà etiam in seipso horribile hoc flagitium perpetrare dici queat? ubi negativam tenemus. Omnis enim qui in Spiritum S. peccat, media salutis à D E O ordinata rejicit, contemnit & pedibus quasi conculcat Ebr. VI. v. 6. cap. 10. v. 29. Atqui Diabolis, pro quibus nullum redemptionis λύτρωσις divinitus constitutum est, convenire hoc non potest; tradidit enim ipsos Deus vinculis æternis sub caligine inferorum ad iudicium reservandos Judæ v. 6. II. Pet. II. v. 4. E. Alterum, in quo omne actionis voluntariæ momentum est, istud à Philosopho constituitur, ut agens sciat τὰ καθέκαστα ἐν οἷς ἡ πράξις singulas actionis circumstantias. Non immeritò autem hîc quæritur, utrum possibile sit dari aliquem tam projectæ impietatis desperateq; perversum, qui contra proprium cordis ac conscientiæ testimonium, solâ ductus malitiâ, veritati ægnitæ & approbatæ nuncium possit remittere? Videtur enim naturaliter abhorreere ab hoc facinore inclinatio tùm voluntatis nostræ cùm etiam intellectus. Illa enim unicè pro objecto appropriato bonum, hic verum agnoscit: juxta illam quivis interitum suum averfatur, juxta hunc omnes verum scire desiderant. Quod si igitur aliquis sibi certò persuasum haberet, se veritatem abnegare, utique & illud ipsum non posset latere, quod pœnas æternæ damnationis indubitatò incurreret, quas cum nemo velit, nec medium, voluntariam nempe divinæ veritatis abnegationem, velle poterit. Sed Resp. consequentiam in argumento non procedere, contrarium

rium enim locus Apostolicus supra adductus clarissime evincit,
experientia testatur, exempla quotidiana clamitant. (1) enim
objectum voluntatis & intellectus absolvit non tantum bonum
& verum reale, sed quod indifferenter se habet ad reale & appa-
rens. Hinc facile fieri potest, ut tum hic cum illa secundario
& per accidens malum & falsum loco sui objecti arripiat, idque
non quidem quatenus malum & falsum est, sed sub ratione ve-
ri bonique, quatenus videlicet a falsa specie, qua in ipso appa-
ret, decipitur. (2) Distinguendum ubiq; est inter hominem
sibi relictum: & iusto Dei iudicio induratum & excacatum. Illo
quidem respectu & ratione naturalis propensionis consideratq;
veritatem bonitatemque semel agnitam non rejicit, abnegat,
blasphematur; posteriori autem modo, & ratione indurationis &
excacationis, si spectetur, tum naturalis illa proclivitas volun-
tatis & intellectus ad verum & bonum per diaboli ductum &
carnis dominium sic potest refundi & perverti, ut non nisi ma-
lum velle, non nisi falsum pro vero arripere gestiat. Ejus rei
exemplum nobis suppeditant Pharisei, quos, obfirmato quodam
proposito, scientes & volentes veritatem horribiliter
impugnasse, blasphemasse, repudiasse, sacrae litterae ostendunt.
(3) quod naturalem inclinationem attinet, eam non semper in
homine obtinere, cum exemplum Phariseorum, quorum mo-
do mentionem injecimus, ostendit, tum etiam confessio Medae
testatur, quae de seipsa profitetur:

— — — video meliora proboque
Deteriora sequor.

Hinc est, quod Theologi dicunt, Peccata quaedam esse contra
naturam, & posse aliquem id committere, a quo alias natura
abhorret, ut ex incestu & commixtione cum consanguineis res
manifesta est. Postremo (4) infirma imò plane nulla est se-
quela argumenti: Non vult finem, E. neque media ad finem du-
centia; contrarium enim quotidiana in vita humana praxis o-
stendit. Scilicet non vult pendere malignus, furtum tamen,
quod suspendii causa certissima, velle potest. Ita homo non

appetit damnationem, ob perversitatem tamen suam appetere potest peccata, quæ certissimam damnationem attrahunt.

§. 6. Dicimus IV. Peccatum in Spiritum Sanctum esse agnitæ & abnegatæ veritatis virulentam blasphemationem. Probamus (1) ex *Synonymicâ peccati hujus appellatione*. Dicitur enim βλασφημία τῷ πνεύματι & Matth. XII. v. 31. (2) ex *Phraseologia biblicâ*. Iis enim vocibus in Sacris delictum hoc describitur, quæ violentam & virulentam linguæ debachationem, quâ quis Deo vel detrahit, quæ ipsius sunt, & ad ejus gloriam spectant, vel attribuit, quæ ad ejus ignominiam faciunt, sub inferunt. Ita Salvator noster de iis, qui atrocissimo hoc crimine sese contaminaverunt, pronunciat quod βλασφημῶσι εἰς πνεῦμα τὸ ἅγιον Marc. III. v. 29. Luc. XII. v. 10. Epistola ad Hebr. c. X. v. 28. utitur vocabulo ἐνυβρίτειν injuriâ, contumeliâ afficere, quod in altero loco parallelo ἐμφατικῶς ἐρώσ exprimitur τὸ θεοδειγμαλίζειν ludibrio & ignominia exponere Filium Dei, idque non clam, sed palam, publico scilicet indicio & exemplo, uti observavit Camero Myriothec. Evang. p. 2. Fit autem talis blasphemia duplici ratione & modo 1. λόγῳ ἐν ψαυτῷ interno cordis affectu, injuriosè meditando, probosè cogitando, quemadmodum ipsum os veritatis ex corde egredi ait blasphemias Matth. XV. v. 19. Et Phariseorum convicia, quibus miracula Christi proscindebant, non tam linguâ exprimebantur, quàm in contumeliosâ & blasphemâ execratione sita erant Matth. XII. v. 25. Hinc Jesus dicitur cognovisse ἐν θυμῷσιν cogitationes eorum internas in animo. Eodem sensu dicuntur hi Peccatores Sanguinem Testamenti κοινὸν ἤγησάμενοι profanū statuisse, quod interno quodam mentis conceptu peragitur. 2. λόγῳ ὡροθετικῷ externo vocis actu, quando eousque virulenta hostium veritatis iracundia effervescit, ut amplius intra animum continere sese non possit, sed in aperta verba prorumpat, quemadmodum Pharisei tota convitiolorum plaustra in Christum projece- runt, & divina ipsius miracula malitiosè calūniati sunt. Ita quādo Matth. XII. v. 32. Salvator noster Peccatores hosce vivis quasi coloribus depingit, utitur phrasi εἰπεῖν κατὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον

γῆ, quod externū aliquē & voce prolātū sermonē significat. Notandū verò est parū interesse apud Deū, utrū quis ore dicat convitiū doctrinæ agnitæ, sive corde suo eam excretur, cum non minus illa cordis execratio DEI oculis pateat, quam in apicum prolata blasphemia.

§. 7. Dicimus V. Peccatum in Spiritum S. esse agnitæ & abnegatæ veritatis cælestis hostilem & truculentam oppugnationem. Non enim satis est juratis doctrinæ cælestis hostibus infenso ore atque animo eandem abominari ac extremè detestari, sed plusquam barbarâ crudelitate sævientes longius progrediuntur, & quibus potest fieri modis opprimere ac oppugnare nituntur. Patet hoc tum *ex praxi continuâ Phariseorum*, tum *ex assertione Apostolicâ* Ebr. X. v. 29. ubi hi Peccatores dicuntur *καταπατεῖν conculcare Filium DEI*, vocabulo maximè emphatico. Involvit autem illud hoc loco non sensum Phisicum, juxta quem idem est, quod pedibus aliquid conterere, sed Ethicum; notatq; partim acerbissimum odium, partim vehementissimum nocendi studium, partim denique extremum contemptum, quo hostes Evangelii noctu & interdiu illud prosequuntur, penitusque sublaturum cupiunt. Sicut enim qui pedibus aliquid conculcat omnes & animi & corporis vires eò intendit; ut, si fieri possit extremam perniciem ipsi afferat: eodem modo hi Peccatores *καταπατοῦσι rabiosè Christum oppugnant*, ejusque doctrinam radicitus extirpare *χερσὶν τε ποσὶν τε*, quod dicitur, allaborant. Conf. *Matth. VII. v. 6.* ubi Christus Prohibet *margaritas porcis projicere, ne conculcent eas pedibus* & *Es. X. v. 6.* ubi DEUS minatur, se missurum esse Assyrios contra gentem iræ suæ; *ut conculcent illam instar cani in publicâ viâ*, quæ duò loca non parum lucis huic verbo foenerari videntur. Porro oppugnatio hæc fieri potest vel *ἀμέσως* & *immediatè*; dum Peccantes in Spiritum S. aut verbis, literis vel armis veritatem divinam oppugnant, aut tantum in cordibus suis percipiunt, ut veritas divina persecutionibus hostilibus opprimatur, idq; unice intendunt; vel *ἐμμέσως* & *mediatè*, quando hi Peccatores veritatis divinæ odio ardentes, alios aut rogant aut jubent, aut iis svadent, ut ipsam opprimant, ejusq; cultores

res & amatores necent, aliove modis e medio removeant, uti habet
Exc. Dn. D. Feurborn. Dissert. de Pecc. in Sp. S. cap. XV.
p. 250.

§. 8. Dicimus VI. Peccatum in Spiritum S. esse cum ab-
negatâ, oppugnatâ, blasphematâ veritate omnium salutis medi-
orum obduratam & finalem rejectionem. Hoc, præter exem-
pla, iterum probat Epistola ad Hebræos, quæ capite sexto & de-
cimo pronunciat, tales homines *ludibrio exponere & denuò cruci-
figere Filium DEI, Sanguinem testamenti ceu rem prophanam ha-
bere.* Cum igitur præter hæc nullum amplius organum & me-
dium salutis adipiscendæ reliquum sit Act. IV. v. 12. c. X. v. 43. rectè
inde colligimus, totam *οικονομίαν* & apparatus salutis ab ejus-
modi sceleratis hominibus rejici, repudiari, contemni, & pedi-
bus quasi conculcari, ita ut verbum veritatis, in quo gratia ipsis
confertur, susque deque habeant, Sacramenta ceu rem vilissimâ
respuant, Spiritum Sanctum denique, qui in ipsorum cordibus
operari vult, contumeliâ afficiant, illique modis omnibus relu-
tentur, atque ita tandem *αυτοκαταχεστοι* fiant Tit. III.
v. II.

§. 9. Hæc fuerunt illa requisita, quæ ipsum *το ειναι* Pec-
cati in Spiritum S. absolvunt, hæc tamen observatâ cautelâ, ut
conjunctim non verò seorsim ad ejus constitutionem con-
currant. Alterutrum enim horum requisitorum si desit, Pec-
catum in Spiritum Sanctum non erit, ut notanter observavit
Diet. Instit. Catech. Loco de Pecc. p. m. 220. Hisce igitur præ-
notatis, talem Peccati in Spiritum S. extruimus definitionem:

*Peccatum in Spiritum S. est Peccatum, con-
sistens in evidenter agnitæ & approbatæ veri-
tatis cœlestis malitiosâ & voluntariâ abnega-
tione, conjunctâ cum virulentâ ejusdem bla-
sphematione, hostili oppugnatione, omniumque
salutis mediorum obduratâ & finali abiectione.*

SECT.

SECTIO III. De Peccati in Spiritum S. qua- litate.

§. 1.

COgnitis Peccati in Spiritum S. requisitis *ουσατοιχοις*, super-
est ut ad *προσκειμενα* seu adjuncta ejusdem progredia-
mur, quorum quinque communiter numerantur, quæ inter-
primum est 1. Summa gravitas. 2. induratio. 3. finalis impœni-
tentia. 4. irremissibilitas. 5. Precationis negatio.

§. 2. Primum illud & posteriora duo *επιόμνα μεζοντα*
εξετασεως indigere videntur, operæ igitur pretium esse existi-
mamus, ut plenius & planius paulò de iisdem agamus. Gravis-
simum autem est hoc peccatum, non quidem *απλας* & absolu-
tè, ac si gravius quoque esset peccato Adami, hoc enim omni-
um esse atrocissimum accuratè demonstrat contra Bellarminum
B. Meisn. Anthropol. Sacrae Dec. 1. disp. 4. q. 4. sed κατὰ τὴν restrictè
respectu scilicet Peccatorum actualium, quæ post lapsum ab
hominibus committuntur. Distingvimus igitur denuò cum
modo laudato B. Meisnero *loco cit. Disp. 10. q. 3. §. 2. Inter Peccatum*
Adami Primum: & Peccata ex primo orta. Horum respectu bla-
sphemia Spiritus meritò censetur Peccatum gravissimum & a-
trocissimum, quod patet tum ex accuratâ exemplorum singulo-
rumque requisitorum observatione, tum etiam ex remissionis
& veniæ omnimodâ negatione.

§. 3. Irremissibilitas Peccati in Spiritum S. fundamentum
suum habet in verbis Christi Matth. XII. v. 31. Marc. III. v. 29. Luc.
XII. v. 10. ubi Salvator perspicue confirmat, Peccatum in Spi-
ritum S. non remitti, neque in hoc neque in futuro seculo.
Conf. Epistolam ad Hebr. c. VI. v. 4. & 6. c. X. v. 26. & 27. Johan-
nem I. Epist. cap. V. v. 16. ubi Peccatum ad mortem nominat, pro
quo orandum non sit, utpote quod de hujusmodi hominum
pœnitentiâ conclamatum jam sit & desperatum.

D

§. 4. Ni-

§. 4. Nimis autem dilute verba Christi accipiunt illi, qui Peccatum in Spiritum S. ideò irremissibile dici censent, vel (1) quod raro & difficulter remittatur, & ut plurimum ejusmodi homines non convertantur, etiamsi absolute contrarium non sit impossibile, imò etiam aliquando reipsa accidat: sicut morbi dicuntur incurabiles, quia ut plurimum non curantur, etiamsi quandoque medicina iisdem afferri possit, uti disputat *Greg. de Valentiâ & Bellarm. l. 2. de pœn.* Christus enim magna cum vehementia pronunciat, illud nec in hoc nec in futuro seculo h. e. in æternum non remitti; vel (2) quod non remittatur sine penitentiâ, ut volunt *Theophylactus & Toftatus Comment. in Matth. XII q. 71. p. 39.* quia de omnibus Peccatis hoc dici potest; vel (3) quod Peccatum hoc committentes sint reprobi, uti habet *Zanchius in Miscell. p. 235.* etenim non omnes reprobi peccant in Spiritum S., vel (4) quod non habeat excusationem coram hominibus: non enim de excusatione, sed de remissione Christus loquitur; vel (5) quod sic Peccans non habeat in se unde remissionem mereatur, quo inclinât *Bellarmin. l. 1. de V. D. c. 17.* id enim omnibus Peccantibus est commune: Non igitur hæ veræ & genuinæ rationes sunt, cur Peccatum in Spiritum S. irremissibile dicatur, sed quod illud sit ἀσύγγνωστον & ἀναπόδραστον fit ex accidente, vitio ipsorum hominum, & partim propter voluntariam à Christo, extra quem nulla pro Peccatis reliqua est hostia, defectionem, partim propter universalem & pertinacem medicorum salutis abjectionem, partim propter finalem indurationem, quæ huic Peccato certissimè solet esse adjuncta. Tales namque homines justo Dei judicio in pœnam antegressæ blasphemix contra agnitam veritatem cœlestem, conjicuntur in mentem atque sensum reprobam, ut non cupiant reverti amplius, sed inflexibili quodam & obfirmato proposito ad vitæ usque finem in furore suo imperterritâ fronte persistant, & tandem volentes in æternam damnationem præcipites ruant.

§. 1. Adversaria igitur sive impossibilitas remissionis, quæ Peccato in Spiritum S. adjacet, nullatenus eidem competit vel factâ collatione ad gratiam Dei, quam scimus exuberare supra

pra omne peccatum Rom. V. v. 20. vel in respectu ad meritum Christi, quod ad totius mundi peccatorum expiationem infinitam suam virtute pertingit I. Joh. II. v. 2. I. Joh. I. v. 7. adeoque ex parte Dei ἀπλως impossibile non est, ut Peccato etiam in Spiritum S. remissio aliqua contingat; (unde non absurde quidam dicunt, terminum (irremissibile) aliquo modo improprie hic accipi, eumque τὸ γινόμενον potius quam τὸ δυνάτον notare, quod tenor verborum Christi non obscure comprobatur, & adeo verum est, ut si tales, qui etiam hoc scelere se contaminassent, denuo ad gratiam Dei aspirarent, dubium nullum sit hoc quoque enorme crimen iis iri remissum: Quapropter & Salvator, licet Phariseos & Scribas de commissa blasphemia Spiritus accuset, expressè tamen subjicit: *aut facite arborem bonam & fructum bonum, aut facite arborem vitiosam & fructum ejus vitiosum*: nimirum haud obscure innuens, si etiamnum resipiscerent, & porro fructus bonos facerent, nequaquam eis veniam aut remissionem antegressi peccati iri denegatam;) sed quia, uti supra dictum, hujusmodi Peccatores à septem demonibus Spiritibus deterioribus occupati, tamque fortiter ab iis constricti tenentur, ut, Deo sic permittente, in poenam antegressæ blasphemiae, tradantur in mentem ac sensum reprobum, ita ut, si vel maxime possint, deinceps converti nolint.

§. 6. Ultimum Peccati in Spiritum S. τὸ ἀπειθεῖν, videlicet precatationis negationem, quod attinet, illud fundamentum suum habere in I. Epist. Joh. c. V. v. 16. *Est Peccatum ad mortem &c.* quidam (nec enim nulli sunt, quibus ob certas rationes aliter videtur,) magni nominis Theologi existimant, quæ verba quia duriuscula esse, & cum præcepto Apostoli I. Tim. II. v. 1. ubi deprecationes, obsecrationes, interpellationes vult fieri pro omnibus hominibus; tum exëplo Christi, qui ipsemet in cruce pro suis crucifixoribus, qui ipsū ignorantiam partim simplice partim affectatam & malitiosam (pro diversitate individuorum) in cruce egerunt, orasse legitur Luc. XXIII. v. 34. repugnare videntur, ideoque varii variis interpretationibus eadem lenire, cumque adductis locis in amicam concordiam reducere conati sunt.

Ambrosius *l. 1. de Penit. c. 9.* responsionem eruit ex Pronomine
QUIS; non dico ut pro eo quis oret, scilicet de plebe ali-
quis, quia hujusmodi Peccatum indiget perfecto deprecatore.
Alii hæc verba Metonymicè explicant, quasi oratio posita sit
pro veniâ, quæ oratur, dicuntque Apostolum non prohibere,
quo minus oremus pro eo qui peccat peccatum ad mortem; sed
potius de veniâ desperare, dubitareque nos quicquam impe-
traturos, si pro talibus oremus, quemadmodum & Jeremias pro
rebellibus Judæis oravit, sed audit: Noli orare pro isto populo,
quia non exaudiam, Jer. VII. v. 17. Brentius in Cap. XII. Lucæ, ho-
mil. 105. p. 717. ita nodum hunc solvi posse putat, si per Peccatum
non ad mortem intelligantur sola Peccata leviora, non exclu-
dentia hominem è communione publicâ sanctorum, cujus ge-
neris sunt morositas senum, præceps quorundam ira &c. per
peccata autem ad mortem quævis alia Peccata graviora, quæ
hominem à publico Ecclesiæ catu arcant. Quæ Brentii, cor-
dati alias Theologi, responsio, num mentem Apostoli satis as-
sequuta sit, mihi non sumo dijudicandum, ne illud occinatur:
Sus Minervam. Franciscus Svarez Tomo IV. p. 87. contendit,
nomine Peccati ad mortem intelligi atrox quodvis Peccatum,
in quo quis sine seriâ resipiscentiâ vitam finit. Sed hæc expo-
sitiõ expressè adversatur Apostolo, ut qui verbis planissimis a-
git de Peccatis, quæ ab hominibus, dum adhuc in vivis sunt,
committuntur & ante mortem temporalem vitæque finem ab-
solvuntur. Optima igitur & convenientissima videtur esse re-
sponsio Hunnii, qui *Comment. in I Epist. D. Johannis Cap. 5.* verbis
rotundis docet, non esse orandum pro his, qui peccant Pecca-
tum in Spiritum S., quod tamen cum micâ salis accipiendum,
& hæc cum conditione intelligendum est, si certò certius con-
stet, aliquem gravissimi & atrocissimi hujus criminis reum esse.
Tum enim, ut inquit Hutterus in *LL. Com. p. 370.* si quis pro talibus
Peccatoribus orandum esse censeret, is tam absurdus foret, ac si sta-
tueret, orandum esse, ut Deus aliquem sine Christo, sine verâ resipiscen-
tiâ, sine neque ad conversionem divinitus ordinatis, convertat, quod
planè est im-ium. Cæterum cum donum *ἄνευ ἰσχύος τῶν ἁγίων*
μάταιον

πατρῶν hodiè in Ecclesiâ non obtineat, ut in primitivâ I. Cor. XII. v. 10. adeoque vix suppetant infallibilia indicia, ex quibus ante vitæ finem indubitato colligere possimus, hunc vel illum Peccatum in Spiritum S. commisisse, satius est ut *hypotheticè* nō oretur pro illis, qui videntur huic crimini obnoxii, quam ut *absolutè* non oretur, ne quid vel in Deum vel in Proximum cōmittamus, quod illinc quidem pietatem hinc Christianam charitatem lædat. Exemplum Christi quod spectat, oravit ille, quidem pro crucifixoribus suis, sed non promiscuè omnibus, aut malitiosis, sed ignorantibus. Dicit enim, Pater, remitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Deinde precatio Christi duplex fuit, alia generalis, quâ pro toto genere humano intercessit apud Patrem: alia specialis, quam pro convertendis tantum effudit: illa, quemadmodum ad universos homines, sic etiam ad Phariseos induratos, pertinuit, hæc verò posterior non item.

Hæc sunt, quæ de naturâ, definitione, notatione Peccati in Spiritum S. strictim attingere voluimus. Faxit Deus TER OPT. MAX. ut, auxilio Spiritus Sancti adjuti studeamus vocationem & electionem nostram firmam efficere II. Pet. I. v. 10. ne cadamus I. Cor. X. v. 12. ne fiduciam abiciamus Ebr. X. v. 35. ne à stabilitate nostrâ excidamus II. Pet. III. v. 7. ne excindamur Rom. II. v. 21. ne reprobi fiamus I. Cor. IX. v. 27. ne coronam vitæ amittamus Apoc. III. v. 12. sed ut salutem nostram cum tremore ac timore conficiamus Phil. 2. v. 12.

Δόξα τῷ θεῷ μόνῳ τεισοῦσά τῳ.





Ad

Præstantissimum

DN. M. RESPONDENTEM.

Sobria sacrarum nec te prudentia rerum
Deficit, & docti te vehit oris honor:
Atque gravis quantum se sistit mentis acu-
men?

Virtutisque piæ quod tibi robur adest?
Ingenii semper felix orisque disertum,
SCHARSCHMIDI, has doctæ differis artis
opes.

Plaudimus, atque meros palmæ spondemus
honores!

Nam quæ non cedat docta palæstra tibi.

*Convictori charissimo
fecit*

Johannes Ericus Ostermannus,
P.P. & Acad. p. t.
RECTOR.

Si volu-

SI voluisse fat est in magnis, gloriaque ausus
Plerumque egregios indubitata manet.
Ecquæ, SCHARSCHMIDI, Te laus condign
 gna celebret,
 Qui, quod conaris velle, reapse facis?
Quâ ratione etenim Sancto blasphemia fiat
 Spiritus mirâ dexteritate doces.
Perge ita; Sic CHRISTO Patriæque Tibique
 Tuisque,
 Progressu annorum, commoda multa fe-
 res.

*Clarissimo Dno. Respondenti,
Disputationis hujus Autori,
amico charissimo L. M. Q. appon.*

Johannes Andreas Quenstedt,
D. & P.P.

PRiscos ordine jactitat
Non nemo proavos, & sibi gaudia
 Fingit conditionibus
Splendens Attalicis. Verice porrigit
 Cristas ille: profanum
Nil, sacrumque nihil, dummodo sese humo
 Possit tollere, pensitat.
SCHARSCHMIDI, socium quem favor aureus
 Junxit

Junxit Cælituum mihi,
Quàm longè melior sedit opinio
Menti. Temnis honoribus
Falsis afficier. Tu magè limpida
Gaudes flumina persequi
Pimpleæ scatebræ; quod placet Optimis:
Numen perpetuo colis
Devotus meritis totus honoribus,
Monstrat quod labor improbus.
O vel tergeminis gloria honoribus
Congestisque Arabum prior
Gazis, Posse rogos sic datur ultimos
Tandem vincere: Numinis
Nec Flatus renuet splendida præmia.

Hoc

*Dno. Sympatriotæ suo singulariter &
αγαπητῷ dilecto appo-
nebat*

M. Johannes Christianus Scholler,
Delitianus Misnicus.




05 A 1410

ULB Halle 3
003 781 976



1873





1. N. 7.
EXERCITATIO THEOLOGICA
De
PECCATO IN
SPIRITUM SANCTUM,

Quam
SUB PRÆSIDIO
*Viri Plurimum Reverendi, Amplissimi atq̄
Excellentissimi*
DN. JOHANNIS ANDREÆ
QUENSTEDT,

S.S. Theol. D. & P.P. celeberrimi, Colleg. Theol. p.t. Decani
spectatissimi, Alumnorum Elect. Ephori gravissimi,
Patroni, Præceptoris ac Promotoris omni
honoris ac observantiæ cultu æternum
devenerandi

*In Florentissimâ Electorali ad Albim Academiâ
Publico Eruditorum Examine submittit*
M. CHRISTOPHORUS SCHAARSMIDT /
Delitianus Misnicus, Sereniss. Elect. Sax.
Alumnus.

*Ad diem In Auditorio Majori horis Antemeridianis
Anno post natum Christum M.DC.LXII.*

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Haken, ANNO M. DC. LXII.

22